MONSTRI HUMANI MAXIME NOTABILIS DESCRIPTIO ANATOMICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT
SUMMI SIBI IN MEDICINA AC CHIRURGIA HONORES
RITE CONCEDANTUR
DIE V. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
GUST. ALEXAND. EDUARD. THEODOR. KNAPE
BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS

SCHLEM, M. DR.
MANDT, M. DR.
GABLER, M. CD.

CUM TRIBUS TABULIS AENEIS.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

V I R O

ILLUSTRI CELEBERRIMO EXPERIENTISSIMO

CHRISTOPHORO KNAPE

PHILOSOPHIAE, MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI AC PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI, ET IN REGIA ACADEMIA MILITARI MEDICO-CHIRURGICA, POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS SUPREMIS, ORDINIS REGII AQUILAE RUBRAE EQUITI, PLURIUMQUE SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PATRI SUO OPTIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS OBEDIENTISSIMUS.

Lectoribus Benevolis.

Infirmus semper et consilii inops haesitabit triennis in medicina tiro, qui novi aliquid ex pathologia vel therapia in medium proferre studuerit. Medici versati et experientia quotidiana edocti iudicio opus est ad tantam morborum cohortem eorumque complicationes secundum naturae leges percensendas singulosque illorum rite discernendos; talis sane Aesculapii sacerdos tirones doctrinae suae copia iuvabit. His autem, ab experientia destitutis tanquam per nebulas cernere non licet, sed tantum doctorum virorum fide atque auctoritate nitantur oportet, nisi temere omnem operam et studium in novis de re medica conficiendis libellis collocare velint. Simi-

liter et me, qui neque aetate neque doctrina cum medicis peritis sum comparandus, a tali nova proferendi studio abhorrere decet. Cum vero ad aliquam scientiam homo informari soleat a rebus sensuum sagacitate perceptis, rarissime aliquem video, qui rei anatomicae certitudinem abrogaverit. Hinc, tironum quid valeant humeri, quid ferre recusent, in medicina excolenda, ex penitioris corporis humani structurae cognitione recte intelligi posse, semper existimavi. Ideoque et studiorum meorum primitiae desumtae sunt ex hac doctrina, quippe quibus exacte demonstrare volui monstri humani maxime memorabilis fabricam, de eo autem quod insuper subiunxi penes eos iudicium esto, qui sciunt, errare esse humanum. Valete.

De habitu monstri externo generatim.

Mater, quod ipsa testimonio suo affirmabat, post septem menses partum monstrosum enixa est; cuius recens nati longitudo, exacte demensa, ab inferiori plantae pedis superficie ad verticem usque quatuordecim pollices aequavit mensurae rhenanae. Summa pectoris latitudo trium pollicum erat, alter humerus ab altero quatuor pollicum spatio distabat. Pondus totius monstri erat librarum duarum et unciae dimidiae cum drachmis tribus. Quod insuper ad habitum externum pertinet, praeter deformitates infra fusius explicandas, nihil, nisi praeternaturalis brachiorum longitudo notatu dignum apparuit.

Capitis descriptio.

Ambitus capitis consuetus est, in anteriori autem parte, et medio osse frontis eminentia in oculos cadit, quae cum naturali capite comparata, ut videtur, tuber impar frontale refert. Huic subiectus est unus oculus fabrica plane praeternaturali conspicuus. Cornea insignem in am-

bitum patens, pellucida apparet, dextro in latere tota lens crystallina albescente margine circumdata, in orbitae fundo facile discerni poterat; in sinistro autem lens crystallina non tam luculenter in conspectum prodibat, pupilla vero proxime attingebat corneam, in dextro latere paulo ab ea remotior. Inter utramque pupillam protrahebatur limbus ex fusco nigrescens, cuius extremi fines latiores erant, sursum deorsumque vascula sanguifera discurrebant, circum corneam orbiculus ex albo cinereus latitudine unius lineae ductus est.

Palpebrae autem, ut primo adspectu videbantur, duae, paulo attentius examinatae, et superior et inferior e binis coalitae apparebant, oculis nimirum ambobus in unum confusis, quod maxime ex lente crystallina et cornea duplicibus intelligi poterat. Superior minus distincte, nullo interstitio notabili, inferior autem evidentissime e sinistra et dextra confusa et coadunata erat, intercedente caruncula lacrymali, in marginibus harum palpebrarum luculenter glandulas Meibomianas vidimus. Duo ex tribus angulis, quos triplex palpebra efformavit, exterius positi sunt; uterque pro amborum oculorum in sanis hominibus angulis externis haberi poterat. Tertius autem angulus inter illos externos medium tenens, proxime supra quandam protuberantiam rostriformem, de qua inferius dicam, positus est; hunc sanorum hominum angulos internos oculi simulare dubitari nequit, praesertim eam ob causam, cum in illo caruncula lacrymalis evidentius nobis obvia sit.

Supercilia communem inter se arcum pilosum conficiebant, cuius pili iam perfecte exculti erant. Sub oculo protuberantia rostriformis, de qua iam supra dixi, eminet, cuius inferius anteriusque latus angustam et arcuatam fissuram refert; eiusdem superior margo convexus, inferior autem concavus est; per illam fissuram penetrare potuit specillum obtusum ad longitudinem paene unius pollicis. Utriusque auris sedes multo

inferior est, ac magis in anteriori capitis parte, altera etiam auricula alteri sic coniuncta, ut limbum ligamentosum latitudine duarum linearum in superiori parte colli ostendant, qui cum inferiori parte capitis fissuram transversam formant, in qua duo foramina, alterum prope alterum iacent; haec specilli obtusi apex leviter penetrare potuit, eademque meatus esse auditorios externos iudico, cum nullus praeterea aditus adsit, quem auditorium putare queam. Reliquae partes externae quoad discerni possunt a consueta corporis forma non declinant, praeter hymen, quod infundibuliforme apparet, ita ut totum fere vaginae orificium claudat. Crura eius usque ad frenulum clitoridis ascendunt. Iam igitur orationi meae de externarum partium fabrica finem impono, liceatque mihi ad internarum partium structuram transire.

Ut omnia sub cuti posita, quoad fieri potuit, intacta relinquerem, eoque rectius et exactius describerem, cutim iuxta quartam costam dissecui, dissectamque ad fissuram usque paulo superius descriptam inter auriculas intercedentem replicui. Hoc facto, decursus musculorum sternocleidomastoidei, omohyoidei, sternohyoidei, stylohyoidei plane normalis observatus est, digastrici autem anterior pars defuit, nec ad naturae normam constructus esse poterat musculus mylohyoideus, partibus quibus inseritur nimirum vel deficientibus vel deformibus; ortus ab osse hyoideo, uti consuevit, in limbo transverso auricularum desinere visus est. Sedes autem horum musculorum ipsos revera esse evidentissime demonstrabat formaque digastrici eiusque musculi quem esse mylohyoideum arbitratus sum, tantum ob defectum maxillae inferioris, quam abesse, accurata dissectio docuit, depravata erat. Remota tela cellulosa, cuius ope musculi de quibus supra iam sermo fuit inter se coniuncti erant, in conspectum prodibat, supra os hyoideum et exactissime in hac regione, qua exterius ista foramina vel fissura cu-

tis hiabant, massa cartilagineo-ossea, quam accurata pervestigatio meatum esse auditorium osseum ostendit. Hic erat locus annuli ossei in hoc foetu, pariter ac in aliis, quem tamen una tympani membrana amborum meatuum praeclusit, et retro in hac duo mallei cum processibus suis luculenter poterant discerni. Ultra hanc partem cuti remota, protuberantia illa rostriformis nobis obvia erat in qua foramen illud iam commemoratum hiabat, cuius situm antea iam demonstravi, supra meatus auditorii foraminula positum. Haec protuberantia exactiori inspectione examinata, evidenter oris cavum erat. Hoc musculus circularis ambit, oris orbiculari valde similis. In parte superiori oris musculus buccinatorius et levator labii superioris communem quasi musculum referunt. Ad cavum oris exactius inspiciendum, inferius incisus est musculus ille oris orbiculari similis, quo facto, processus alveolaris maxillae superioris, et infra hanc, mutila lingua in conspectum prodibant de qua paulo post fusius dicam.

Accuratum cavi oris examen velum palatinum, uvulam, tonsillasque ex toto deesse ostendit, lingua cum palato osseo ad eam usque regionem intime iuncta fuit in qua sanis in hominibus fauces inveniuntur. Coniunctio oesophagi cum oris cavo, plane defuit. Iam vero sine harum partium laesione oesophagi origo haud inveniri potuit; hac de re cavum thoracis lege artis dissectum est, et oesophago et aspera arteria circumspecte praeparatis, ille incisus, immissoque tubulo spiritu inflatus est. Cum vero nec ullum transitus alicuius vestigium adesset, ex quo spiritus ferri potuerit, incisura quam modo commemoravi, magis dilatata ab inferiori parte oesophagi iterum quam exactissime in partium praeternaturalem fabricam inquisitum est. Hic oesophagi et asperae arteriae decursus usque ad interstitium duarum linearum infra membranam tym-

pani plane normales fuerunt, hoc in loco autem supra laryngem, secunda lingua inveniebatur, quae cum anteriori parte pharyngis coalita fuit. Ambae partes, Oesaphagus et aspera arteria finem in meatu auditorio habuerunt. Communicatio itaque oesophagi et asperae arteriae cum oris cavo hoc in monstro nulla existit.

Orbita

his ex ossibus deformatis constat.

1. Singulari osse frontis non a consueto ambitu sed a forma aberrante. Unum tantummodo tuber frontale in medio osse est, quo tendit a summa huius ossis parte fissura, tanquam intermediae partitionis vestigium, de quo autem adusque marginem supraorbitalem prolongatur; eo in loco dextra et sinistra frontalis incisura est, inter utramque, ubi pars nasalis alias esse solet, os contegitur ligamentoso integumento. Processus orbitalis ex parte osseus, cum altero per membranam ligamentosam consociatus, orbitae fornicem conficit.

II. Os ethmoideum ex toto deest, et obtinuisset sine dubio locum illum, quem ibi commemorata membrana obtegit.

III. Os sphenoideum. Alae magnae huius ossis superius coalitae sunt cum processu orbitali ossis frontis, earumque margo internus et ille, qui circum singulare foramen opticum ducitur, utriusque lateris fissuram orbitalem superiorem, construunt, utriusque medium tenet septum osseum arctum, quod ab inferiori orificii foraminis optici margine ad infimas partes alarum magnarum internas protenditur et has vicinas disiungit. Unum tantummodo foramen opticum est in medio orbitae

recessu ad superiorem partem, quod coërcet lamina ossea in margine calloso, cuius superiori parti membrana, antea iam commemorata, adnexa est, partes laterales attingunt processus orbitales ossis frontis, paulo inferius proxime sita est utrinque fissura orbitalis superior.

IV. Os malare iuxta orbitam utriusque lateris naturalem suam sedem habet, recteque cohaeret cum processu malari ossis frontis, cum alis magnis ossis sphenoidei, cum maxilla superiori. Propter arctam superiorem maxillam, os malare ipsum maximam partem efformat orbitae infra os frontis, denique notatu dignum est, exiguum esse arcum zygomaticum ex defectu maxillae inferioris, eandemque ob causam minorem esse musculum temporalem et affixum marginibus ossis zygomatici.

V. Maxillae superiores inter se ex toto coniunctae sunt eam ob causam, quia hoc in monstro os ethmoideum, ut integris in corporibus, septum orbitarum ambarum efformat, hic deest. Pluribus in locis, exempli gratia in marginibus internis orbitae arcus et infra orbitam in regione alveolari, maxillae istae per synostosin iunctae sunt. Partis palatinae coniunctio per suturam palatinam hac ex inquisitione elucere non potuit, quia palatum cum illa lingua, in cavo oris posita, intime cohaeret. Cum osse zygomatico maxillae processu malari iunctae sunt. Medio in margine inferiori orbitae, margines interni partium orbitalium maxillarum superiorum sub angulo acuto divergentes, corpus triangulare osseum, inferius exactius demonstrandum complectuntur. Planum orbitale maxillarum superiorum nullas eminentias refert, sed ex toto planum est. In utroque latere canalis infraorbitalis normali modo decurrit, sed exteriores posteriores margines partium orbitalium maxillae superioris, quae cum anteriori inferiori margine alae magnae ossis sphenoidei fissu-

ram orbitalem inferiorem formant, in posteriori parte orbitae in angulum acutum coëunt, deficientis ossis ethmoidei causa, sic ut fissurae orbitales inferiores utrinque confluant. Processus nasales maxillae desunt, nec ullum eorum rudimentum existit.

6. Os lacrymale, quod in naturali situ anteriorem partem parietis interni orbitae format, et hoc modo orbitam de naso separat, hic, ubi nasus deest, impar apparet ex lamina parva triangulari constat quae ita posita est, ut unus angulus retrorsum, reliqui autem duo ad marginem infraorbitalem spectent.

Oculi structura penitior.

Orbitae constructione absoluta ad ipsum oculum describendum progrediar. Remota cuti unicus bulbus apparuit. Quamquam bulbus impar fuit, musculi tamen, ad eius rotationem duplices inveniebantur, sic, ut recti inferiores, laterales interni et externi utriusque lateris inter se hoc modo coniuncti essent, ut loco sex, tres tantummodo crassiores existerent. Obliqui inferiores utriusque lateris separatim exorti, arcuata forma in inferiori posteriori parte bulbi inter se sine ulla adhaesione confluxerunt, nam nullum rudimentum eorum adhaesionis in orbita inveniri potuit. Obliqui superiores, rudimento trochleae cartilagineae facile noscendi, uterque in superiori bulbi latere adfuerunt. Tres insuper levatores palpebrae superioris aderant, inque media et superiori bulbi parte duo recti superiores nobis obviam venerunt. Memorabilis ista structura musculorum mihi apparet, et veri simile est, prima origine duos oculos adfuisse, qui sensim et pedetentim in unum coaluerunt, quod infra lentium structura latius manifestabit. Ad internam bulbi ipsius structuram paulo exactius examinandam cornea elliptica ipsa cum

annulo parvo substantiae scleroticae discissa et sursum reclinata est. Hic structura tunicarum bulbi normalis quidem, sed non duplex fuit, omnesque tunicae perinde ut perfectis in corporibus bulbum circumduxerunt. Insertio nervi optici singularis consueto loco inveniebatur. Orbiculus ille ex albo cinereus, corneam circumdans, de quo in descriptione oculi externi supra iam sermo fuit, orbiculus ciliaris esse videtur, qui hoc in oculo aliquanto latius protractus est, nam iunctio ambarum iridum hoc cum orbiculo, pariter atque in bene formatis, existit. Tum corpus ciliare quod ante sectionem cum eo iunctum fuit hoc luculenter ostendit. Ambae irides, quae hoc in oculo adsunt, medio in oculo inter se cohaerent, sic, ut primo adspectu una iris cum duabus pupillis adesse videatur. An inter scleroticam, corneam, limbum et iridem canalis Fontanae adfuerit, dici vix potest, quoniam monstrum iam per longissimum tempus in spiritu asservatum est. Corpora ciliaria, ambas lentes separatim circumdant et inter illas lentes et earum corpora vitrea septum a membrana hyaloidea formatum has partes inter se separat, hac de re in anteriorri parte inter lentes medium tenens transparet id corpus quod in externa descriptione oculi et in explicatione tabularum limbus protractus dictum est. Reliquae oculi partes exactius describi nequeunt.

Cerebri descriptio.

Cranio rite remoto, monstrosum cerebrum admodum destructum apparuit, cuius examen, quoad eius fieri potuit exactum haec ostendit. Processus falciformis maior deerat, totumque cerebrum unam massam sine ulla incisione, deficientis processus falciformis causa in anteriori parte cranii retulit, posterior autem pars defuit. Hac de re etiam thalami nervorum opticorum statim discerni potuerunt, interque eos ven-

triculus tertius qui solus hoc in cerebro adfuit. In anteriori opticorum thalamorum parte plures arteriae distributae erant, quarum tamen origo certius indicari non potuit. In posteriori thalamorum parte eminentia quadrigemina perinde ut perfectis in corporibus in oculos incidit. Supra cerebellum tentorium prorsus normale inventum est, quo remoto, cerebellum non multum a normali forma deesse videbatur. Iam vero cerebri substantia valde destructa nihil reliquum fuit, quam ut cerebri basin inspiceremus. Hic primum nervus olfactorius ex toto defuit, nec originis eius vestigium ullum vidimus. Media in cerebri basi duae arteriae adfuerunt, quae cum aliis integris in corporibus comparatae, forsitan pro arteriis fossae Sylvii haberi potuerunt. Ex thalamis nervorum opticorum solito latioribus unus tantummodo nervus opticus originem suam duxit et ex fovea sic dicta Tarrini duo nervi oculorum motorii normali modo inveniebantur; nervi etiam trigemini normalis structurae erant, pariter ut cerebelli et medullae oblongatae forma, nec minus arteriae basilaris decursus normae prorsus respondebant.

Reliquae partes, quas hac in descriptione non commemoravi, normalem prorsus structuram referre visae sunt, has autem, quarum destructio nihil certi in medium proferre permisit, silentio transeo.

Liceat iam ad finem huius dissertatiunculae aliquid de liquore amnii adiungere. Multa de usu liquoris amnii in medium prolata sunt, aliis ad nutriendum foetum eum converti, aliis talem ad usum prorsus non pertinere credentibus. Nisi fallor diversae medicorum opiniones circa hanc rem etiamnum existunt. Plerique nullum ei usum concedunt, praeterquam quod foetus laesionem in ipso utero prohibeat eiusque normalem extentionem sustentet. Iuvat ex anatomia pathologica argumenta quae-

dam adiungere, quibus persuasum mihi habeo, liquorem amnii ad nutriendum non converti. Multa extant exempla, praeter monstrum supra descriptum, quibus monstra in lucem edita sunt, sine ulla communicatione intestinorum cum ore nasoque et tamen exactiori examine instituto, haud exigua humoris massa liquori amnii simillima in intestinis inventa est. His sub conditionibus amnii liquor, foetum circumdans, ad interiores partes accedere non potuit, in intestinis autem adfuit, ideoque si in foetus corpore ipso talis massa praeter aliquam deglutitionem existere potest, illa massa etiam integris in foetibus similem originem ducere potuit, unde elucet, ex sola liquoris amnii praesentia in faucibus et intestinis ore ut dicunt assumti, nullam nutritionis foetus argumentum patere. Illam autem massam in monstrorum intestinis sine ulla communicatione cum ore revera adesse posse, descriptio monstri ovilli, quam experientissimus Themelius nobis sistit, luculenter manifestat *).

Alii foetum liquore amnii per cutim resorpto nutriri contendunt; horum vero opinioni vernicis caseosae sive smegmatis tenacitas adversatur, impedientis nimirum, quo minus ad ipsa cutis vasa resorbentia ille accedat. Denique si et illa opinio vera esset, qua liquorem amnii non ad totam quidem nutritionem, sed ad illam tantum adiuvandam adesse censent, nunquam monstrum ore clauso ex toto excultum esse potuisset, quia pars semper nutritionis ei deesse deberet; res autem aliter se habet, nam monstrum supra commemoratum, quod Themelius descripsit, et ipse dissecuit, adeo absolutum fuit, ut vitam per duas horas traheret.

---

*) Fasciculus dissertationum anatomico medicarum Amstel. MDCCLXIV.

Postremo in monstro ovillo, quod in museo anatomico Berolinensi asservatur, caput et maxima pars abdominis eiusque intestinorum desunt; in hoc igitur extremae partes cum rudimento abdominis nullo alio modo nutriri potuerunt, quam per funiculum umbilicalem.

His propositis, sententiam de foetus nutritione per liquorem amnii stare non posse, elucescit.

Memorabilium brevis repetitio.

I.

Olfactus organon ex toto deest, nasus non solum externus et internus, sed nervi quoque olfactorii plane deficiunt.

II.

Nasi locum unicus monstrosus oculi bulbus cum orbita sua occupat.

III.

Bulbus ipse unicam tantummodo scleroticam, et choroideam duasque irides, lentes duas crystallinas, duos vitreos humores unumque opticum nervum habet. Opticus nervus ad chiasma usque simplex, retro vero duplex, uterque latere suo ad thalamum tendit, solito tamen paulo gracilior.

IV.

Novem capitis ossa, duo nimirum ossa nasi, os ethmoideum, utraque inferior concha, ossa palati, vomer maxillaque inferior penitus deficiunt; insuperque processus nasales maxillarum superiorum desiderantur.

V.

Linguae adsunt duae, altera in deformi oris cavo palato adnata, altera vero laryngi solito modo annexa in pharyngis cavo recondita.

VI.

Aures imprimis auriculae infra mentum prolongatae, confluunt, ibidemque una tympani membrana in proprio annulo expansa, ita existit, ut duo tantummodo foraminula aditus externos designent.

VII.

Oesophagus et pharynx laryngem, hinc quoque glottidem et tracheae ostium obvolventes, intra communem tympani cavitatem finiuntur.

Tabularum explicatio.

Tab. I.

a. Tuber impar frontale
b. b. cornea
c. lens crystallina dextra
d. lens crystallina sinistra altius posita
e. limbus intra pupillas
f. f. orbiculus cinereus corneam circumdans
g. g. palpebra superior
h. h. palpebrae inferiores
i. i. anguli externi oculi
k. angulus tertius oculi
l. caruncula lacrymalis
m. supercilia
n. protuberantia rostriformis
o. o. aures
p. hymen
q. q. glandulae Meibomianae.

Tab. II.

Fig. I.

Caput reclinatum refert.

a. protuberantia rostriformis
b. fissura arquata

Fig. II.

Caput a latere ostendit.

a. protuberantia rostriformis
b. fissura arquata

c. c. aures
d. limbus protractus
e. fissura transversalis
f. f. meatus auditorii.
c. caruncula lacrymalis
d. auris externa cum fissurae transversalis parte
e. limbus intra pupillas
f. palpebra superior
g. g. palpebrae inferiores
h. supercilia.

Fig. III.

Partes subcutaneae incisa et replicata cuti nudatae.

a. a. a. cutis reflexa
b. b. aperturae internae meatus auditorii
c. c. c. c. musculi quos mylohyoideum esse puto
d. orificium internum fissurae arquatae
e. e. musculi temporales
f. musculus orbiculari oris similis
g. orificium oris
h. anterior pars linguae
i. i. annuli membranae tympani inter se coniuncti
k. membrana tympani
l. l. mallei duo
m. m. musculi sternocleidomastoidei, dexter reflexus, sinister in situ
n. os hyoideum
o. o. musculi omohyoidei
p. p. musculi sternohyoidei
q. q. musculi digastrici
r. r. musculi stylohyoidei.

Fig. IV.

Os apertum repraesentat.

a. a. a. cutis reflexa
g. g. mallei

b. lingua
c. c. processus alveolares maxillarum superiorum
d. d. musculus orbiculari oris similis reflexus
e. e. musculi temporales
f. f. orbiculi ossei membranae tympani
h. musculus mylohyoideus
k. k. musculi sternocleidomastoidei
l. l. musculi omohyoidei
m. m. musculi sternohyoidei.

Tab. III.

Fig. I.

Orbita.

a. Os frontis
b. tuber frontale
c. fissura longitudinalis
d. membrana ligamentosa
e. e. processus orbitales ossis frontis
f. foramen opticum
g. g. alae magnae ossis sphenoidei
h. h. fissurae orbitales superiores
i. i. fissurae orbitales inferiores inter se iunctae
k. k. maxillae superiores
l. l. canales infraorbitales
m. os lacrymale
n. n. musculi temporales
o. o. ossa malaria
p. eminentia rostriformis
q. q. ossa bregmatis
r. os hyoideum
s. s. musculi omohyoidei
t. t. musculi sternohyoidei
u. u. musculi sternocleidomastoidei

Fig. II.

Oesophagus cum pulmonibus reflexus.

a. a. oesophagus reflexus
b. b. pulmones
c. ventriculus
d. arteria aorta
e. arteria aspera
f. f. processus magni ossis hyoidei
g. g. nervi vagi
h. h. musculi sternocleidomastoidei
i. i. musculi longi colli
k. columna vertebralis
l. l. partes clavicularum.

Fig. III.

Pharynx apertus cum larynge.

a. a. a. pharynx apertus
b. arteria aspera
c. lingua
d. epiglottis
e. e. musculi longi colli
f. columna vertebralis
g. g. musculi ut videntur stylo-pharyngei.

Fig. IV.

Bulbus oculi cum musculis suis.

a. a. bulbus
b. nervus opticus
c. c. recti laterales utriusque lateris inter se coniuncti
d. musculi recti inferiores inter se iuncti
e. e. musculi obliqui inferiores arcu inter se iuncti
f. f. musculus rectus superior utriusque lateris separatim ortus
g. g. musculi trochleares
h. h. rudimenta trochlearum
i. i. i. musculi levatores palpebrae superiores.

Fig. V.

Oculus internus.

a. a. a. Cornea reflexa, cum annulo parvo scleroticae
b. b. irides inter se iunctae
c. c. earum pupillae
d. d. lentes crystallinae
e. e. corpus ciliare utriusque lateris
f. septum a membrana hyaloidea formatum
g. g. sclerotica

Fig. VI.

Cerebri facies superior.

a. a. Cerebrum
b. b. arteriae
c. c. thalami nervorum opticorum
d. ventriculus tertius
e. eminentia quadrigemina
f. f. cerebellum

Fig. VII.

Basis encephali.

a. a. basis cerebri
b. b. duae arteriae forsitan pro fossa Sylvii
c. nervus opticus
d. d. thalami nervorum opticorum
e. e. nervi oculorum motorii
f. arteria basilaris
g. g. nervi trigemini
h. h. cerebellum
i. pons Varolii
k. medulla oblongata.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Gustavus Alexander Eduardus Theodorus Knape decimo die mensis Iunii anno millesimo septingentesimo nonagesimo quarto Berolini natus sum, patre optimo Christophoro Knape Potentissimo Borussorum Regi a consiliis intimis supremis huiusque universitatis professore medicinae P. O., matre e gente Lohmanniana. Primis litterarum rudimentis imbutus, Gymnasium Ioachimicum, quod nostra in urbe floret, per septem annos assidue frequentavi, quo peracto tempore in numerum civium academicorum huius almae Musarum sedis receptus sum anno MDCCCXI beato Fichte fasces academicas tunc tenente. Audivi in philosophicis beatos Solger et Kiesewetter, physice et chemia Ill. Hermbstädt, botanice beatus Willdenow, anatomia humana, osteologia, syndesmologia, splanchnologia, physiologia Ill. Rudolphi et pater meus me instituerunt. Iisdem ducibus artem cadavera dissecandi in theatro anatomico exercui. Exorto bello, anno millesimo octingentesimo decimo tertio academiae valedixi et per totum bellum gallicum decurio equitum in exercitu regis Borussorum militavi. Reconciliata pace usque ad annum millesimum octingentesimum decimum nonum stipendia feci, deindi iterum animum ad studium medicinae appuli. Rectore Magnifico Goeschen, Viro Celeberrimo, A. MDCCCXX d. XI. mens. Octobr. iterum in album civium academicorum relatus sum. Frequentavi ab hoc inde tempore lectiones Ill. Rudolphi de anatomia humana, comparata, pathologica et

organorum sensuum, nec minus patris mei de osteologia splanchnologia, syndesmologia. Duce Illustr. Horn pathologiam et therapiam tractavi, unaque scholis physicis et chemicis Celeb. Turte interfui. Pharmacologiam et botanicen Celeb. Link, pathologiam vero generalem Cel. Hecker mihi tradiderunt. In chirurgia tam generali quam speciali, akiurgia, acologia, doctrina de ossibus fractis et luxatis viros Ill. Graefe et Rust nec minus Exp. Iüngken praeceptores secutus sum. Materia medica et arte formulas medicas concinnandi erudiendum me curaverunt Ill. Berends, Cel. Osann et pater meus. Denique institutum clinicum chirurgico - ophthalmiatricum Ill. Graefe et medicum Cl. Neumann in nosocomio caritatis omni qua par est assiduitate frequentavi.

Iam vero tentamine et examine rigoroso coram gratiosa medicorum facultate feliciter absolutis, spero fore, ut summi in medicina et chirurgia honores post defensam hanc dissertationem rite in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Amnii liquore foetum nutriri nego.

II.

Serotini partus possibilitatem defendo.

III.

Foetus respirationem ante partum, hinc quoque vagitum uterinum possibilem duco.

IV.

Crimen sub lucido intervallo commissum iure imputari nequit.

V.

Vehementissima cerebri commotio non impedit, quo minus lethale sanguinis profluvium sequatur.

Tab: I

